

QUAESTIO II
circa Prologum libri Sententiarum
quaero primo

UTRUM VERITATES THEOLOGIAE ET CAETERIS SCIENTIIS COMMUNES PERFECTIUS cognoscantur per Theologiam, quam per quamcunque aliam Scientiam?

Et arguitur quod non, quia haec veritas, aliquid est prima causa, perfectius cognoscitur per Philosophiam, quam per Theologiam. Consequentia est nota, antecedens probatur: quia per Philosophiam haec veritas cognoscitur demonstrative, ut videtur ex 2. physicor. et 12. metaphys. et multis aliis libris et locis Aristotelis, et sui commentatoris; et sic non cognoscitur per Theologiam, quia processus Theologica notitia est ex principiis creditis non visis: ergo.

Secundo arguitur sic: impossibile est quod A verum perfectius sciatur, quam, quod impossibile sit aliter esse quam A, scitur esse verum; ergo per nullam scientiam scitur A verum perfectius, quam per illam scientiam per quam hoc scitur de A. Sit A quodcunque verum pluribus scientiis scitum: sed per quamlibet scientiam A est hoc scitum; ergo non perfectius per unam scientiam, quam per aliam.

Tertio : A verum commune pluribus scientiis non potest esse verius in una scientia, quam in alia; ergo non potest cognosci esse perfectius verum in una, quam in alia. Antecedens est notum, et infra notum esse ostendetur: et consequentia patet.

Oppositum arguitur. Per nullam doctrinam aliam [39] a Theologia praecise in lumine naturali, et generali illustratione Dei traditam perfecte cognoscitur prima veritas, haec scilicet Deus est, vel haec veritas incomplexa prima Deus: sed haec per solam Theologiam cognoscitur; ergo, cum sola Theologia sciatur qua veritate (scilicet prima et principali) sit verum quidquid est verum, et per nullam aliam scientiam, sequitur quod perfectius scitur quodlibet verum Theologice scitum, quam scitum per alias scientias. Antecedens principale probabitur infra.

Respondeo ad istam quaestionem ponendo tres articulos. In primo praemittam declarationes terminorum, in secundo ponam conclusiones, in tertio solvam dubitationes.

ARTICULUS I.
Declarantur Termini.

Quantum ad primum, per Veritates Theologia et scientiis caeteris communes intelligo Veritates in quibus caeterae scientiae concordant cum Theologia, ut quod Deus est, et quod tantum unus est Deus, quod caelum movetur, et consimiles; quae traduntur in Sacra Scriptura, et etiam in Philosophia.

Distinguendum est de veritatibus; quaedam sunt complexa, quaedam incomplexae, ut traditur ab Augustino 1. et 2. Soliloqui. Verum enim incomplexum est entitas vel essentia propria dicta, vel potest esse essentia, dicente Augustino de vera religione. Et allegat Gandavus in Summa artic.7 quaest. 13. unumquodque verum, in eo quod verum est, aliquid est; et falsum, in eo quod falsum, non est. Et hoc est quod communiter per Philosophum dicitur: verum et ens convertuntur, et falsum et non ens. Veritas igitur incomplexa convertitur cum ente, et est significabilis primo conceptu simplici nominaliter affirmative, et non negative, et non verbaliter; ut hic lapis, vel hic homo. Dico autem notanter [40] primo; quia quaelibet res existens essentia singulari potest significari complexe vel incomplexo indifferenter, sed non primo; ut homo, et hominem esse; et Sortes, et Sortem esse, et sic de aliis. Veritas vero complexa est ista quae est significabilis primo conceptu qui est propositio, vel aequipollens

propositioni. Unde significabile complexe non ideo dicitur, quod non possit incomplexe significari; quia totam Historiam Biblie possem significare per A: sed significabile complexe dicitur omne illud a qualiter esse, quod vel qualiter esse potest solum significari primo per unam propositionem vel per plures, vel per terminum aequipollentem propositioni vel propositionibus, scilicet verbaliter et nominaliter includendo significare simul. Idcirco licet Sortem creare possit significari per A, non tamen primo; quia imponens illum terminum A ad significandum hoc complexum (Sortes creatur), primo utitur aliqua propositione significante hoc complexum; dicit enim, Volo quod A significet mihi hoc complexum Sortes creatur, vel simile.

8. Et igitur incomplexi veri haec descriptio: Verum vel Veritas incomplexa creata est essentia existens in gradu specifico conformiter exemplari aeterno. Probatur quoad singula membra.

9. I. Quoad hoc quod dicitur essentia existens. Quia si essentia solum possibilis nondum existens esset verum creatum; sit igitur gratia exempli essentia B auri: ergo essentia Bron existens sed possibilis esset verum aurum, quod est falsum. Probatur consequentia: quia si B auri possibilis essentia sit verum, non est aliud verum vel alia veritas quam auri; quia essentia unius speciei non potest esse veritas alterius speciei: ergo B essentia possibilis si est veritas, non potest esse nisi auri, et per consequens B est verum aurum: sed quod hoc sit falsum probatur, quia pari ratione quodlibet possibile aurum esset aurum. Item, quam necessario B esset possibile aurum, tam necessario B esset verum aurum; quod patet esse falsum. Etiam [41] patet per Augustin. de immortalit. animae. 16. dicentem: Siquidem veritatem dicimus eam qua vera sunt omnia quae sunt; in tantum enim sunt, in quantum vera sunt.

Ex ista particula infero propositiones.

Prima propositio est: Omne creatum verum incomplexum est contingenter verum. Patet, quia contingenter est ens vel essentia; ergo. II. Propositio: Quidquid nec sibi nec alteri sufficit ut sit, nec sibi nec alteri sufficit ut verum sit. Patet per idem: ex quibus sequitur III. Propositio: quod Nulla creatura, nec omnes simul sufficiunt sibi nec alicui alteri ut verae sint. Patet, quia nulli sufficiunt, neque sibi, ut sint. IV. Propositio: Prima veritas increata est causa et exemplar omnium aliorum verorum incomplexorum, et necessario requisita ad eorum veritatem. Patet; quia alioquin, cum per dicta nulla creatura sufficiat nec omnis ad esse creatum verum, sequitur quod non potest esse aliquod creatum verum, vel quod primum verum increatum non causet et conservet, et ut exemplar ipsum quodcunque verum creatum repraesentet. Et hoc est quod dicit Augustin. Super psal. 3. Prima veritate quae Deus est, vera sunt omnia. Concordat Venerabilis Anselmus, de veritate cap. ult. et cap. 7 ubi probat quod una veritate verum est quidquid verum est; et omnium verorum una est veritas, quae utique Deus est. Ex quo sequitur V. Propositio: quod impossibile est rem creatam esse veram essentiam, si non veritate prima fabricativa formetur et actuetur in sua participata veritate.

Particula praemissae descriptionis, quae erat in gradu essentiali specifico, pro tanto ponitur: quia quantumcunque esse rei varietur, dummodo maneat in suo gradu specifico, semper est idem praecise verum, nec plus nec minus verum erit. Sicut B aurum qualitercunque varietur, citra hoc quod non exeat gradum suae speciei scilicet auri, semper manebit verum aurum idem quod prius: si autem exiret suum gradum [42] specificum (puta si fieret plumbum), non maneret idem verum quod primo, neque verum aurum.

12. III. Particula descriptionis erat conformiter exemplari aeterno, quae ponitur ex eo: quia illud exemplar aeternum (puta Deus) est regula infallibilis et prima ex qua tanquam a priori scitur an haec essentia sit aurum verum vel non. Nulla enim notitia, vel ratio, sive apparentia sufficienter ostendit, an hac essentia demonstrata (puta B) sit verum aurum, et sit gradus specificus istius perfectionis scilicet auri; nisi referatur ad exemplar aeternum mensurativum et effectivum: quod exemplar ex ea forma auri quae est vita in eo scilicet exemplari, largitur speciem et essentiam ipsi B auro, et largitur aliam speciem ipsi C plumbo in suo proprio existere ad extra in ordine essentiali rerum, in numero pondere et mensura perfectionum competitibilium

in suis gradibus propriis et existentibus. Unde impossibile est evidenter noscere an B sit verum aurum, nisi sciatur evidenter quod B sit imitativum divini exemplaris secundum ideam vel gradum qua vel quo creata sit essentia auri, et sic creari debuit. Patet per venerab. Anselmum de veritate cap. 7. An putas, inquit, aliquid esse aliquando aut alicubi, quod non sit in summa veritate, quod inde non acceperit quod est, et quantum est, aut quod posset aliud esse quam quod ibi est: ac si diceret; Non est putandum. Et Anselmus: Quidquid igitur est, vere est, in quantum est id quod ibi est; dicens: absolute concludere potes, quoniam omne quod est vere est, quia non aliud est quam quod ibi est. Ergo ex nulla ratione evidenter habetur quod B sit verum aurum vel vere, nisi referatur suum essentiale esse ad illud exemplar aeternum. De hoc videatur Augustinus 4. Super Genes. 8 et de natura boni, in princip. ut probat Augustin. 12. de Trinit. cap. 2. Naturas rerum gradibus ordinavit, quia aliis minus aliis magis de essentia dedit. Ex quibus habetur, quod ex quo viatores non vident exemplar illud (quod etiam vocatur exemplaria vel ideae pluraliter, eo quod sit [43] infinites imitabile ad extra) referant aurum verum ad principia suae speciei; sicut dicunt illum esse verum hominem, qui constat ex corpore et anima rationali *etc.* : ideo vocant illa principia Exemplaria. Ex illa descriptione taliter declarata clarescunt propositiones, quarum

13 I. Propositio est: Videns exemplar aeternum potest clarius et certius et perfectius noscere B aurum, et B esse verum aurum, quam quantumcunque perfecte noscens B in propria natura vel in genere. Propositio probatur: quia dictum exemplar clarius repraesentat B, quam quaecunque similitudo ipsius, qua cognoscitur in proprio genere, possit ipsum B repraesentare; ergo *etc.* Antecedens est Augustini 4. Super Genes. cap. 29. Multum interest, inquit Augustinus, inter cognitionem rei cuiuscunque in uno Deo, et cognitionem eiusdem in natura eius, ut illa merito ad diem pertineat, haec ad vesperam; in comparatione enim lucis istius qua in verbo conspicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito non dici potest. Vere igitur multum interest inter illam et istam.

Secunda propositio est: impossibile est esse aliquod falsum incomplexum. Probatur: quia si sit possibile esse aliquod falsum incomplexum in re, sicut possibile est et de facto aliquod verum incomplexum in re, sit gratia exempli C falsum incomplexum, oppositum B essentia auri quae est verum incomplexum; tunc sic: quodcumque est B in re, tunc non est C sua scilicet pura et simplex negatio in re; ergo tunc C falsum in re non est; sed dum non est B tunc est C negatio ipsius, et tunc C non est falsum, imo verum tunc est C, id est, verum est quod B essentia non est: et sic sive B aurum sit sive non sit, semper non erit C falsum; quod fuit probandum. Hinc dicit Venerabilis Anselmus: Quod falsum est, non est: [44] scilicet in re; intelligendo de rogarione reali pura et incomplexa: de veritate cap. 7. quia ipsa nunquam potest esse simul cum sibi opposita affirmatione reali, quod oporteret si deberet esse falsa. Si autem sit in re alicuius essentia pura negatio, ipsa non erit falsa, ut iam potuit; ergo simpliciter est impossibile esse aliquod falsum incomplexum in re, sed solum in aestimatione, sicut probat Augustinus in multis locis 1 Soliloq. Concludo: quod Falsum aurum non est in aestimatione existimantis aliquid, (puta plumbum esse aurum, quod non est aurum; vel B essentiam esse aurum, dum non est): utrumque autem (scilicet plumbum esse aurum, vel B essentiam esse aurum dum non est) implicat contradictionem. Haec propositio est Gandavi in Sum. 34 quae. 6.

Ex qua sequitur corollarie

Primum quod quorumlibet contradictoriorum incomplexorum alterum est verum, et reliquum non est falsum, sed bene non verum. Sunt autem contradictoria incomplexa simplex affirmatio incomplexa, et simplex negatio ei opposita etiam incomplexa: ut aurum, non aurum, lapis, non lapis, vel simplex negatio lapidis. Cum illo corollario concordat Iacobus de Viterbio, quodlibeto 1 q. 1 II. Sequitur, quod non solum est impossibile esse aliquod falsum incomplexum; sed etiam quod nullum potest esse falsum complexum in re, sed solum in

aestimatione creaturae et in signis subordinatis: ita quod ante Mundi constitutionem nullum fuit falsum penitus, nec incomplexum nec complexum. Quia secundum Venerab. Anselm. de verit. cap. 2. Si dicitur, hoc esse quod est, rectum est; verum dicitur, et verum est quod sic est, et oratio vera est quae sic esse enuntiat: sed si aliquid falsum est natura et in re (ut puta hoc falsum Homo est lapis, vel simile) etiam tunc cum dicitur. Homo est lapis, verum dicitur; quia sic est in re propositum, scilicet quod hoc falsum, Homo est lapis, sit in re: quare verum est quod Homo est lapis. Et haec ratio est bona, si capitur falsum non pro signo sed pro significabili, quod est propositio mentalis. Unde vult Augustin. Super psal. 5 quod cum dicitur quod non est, falsum dicitur; sed cum dicitur quod falsum est nihil, verum [45] dicitur. Patet igitur, quod si quis dicat, Nihil est falsum, verum dixit: quod erat propositio probanda.

Tertio sequitur quod haec consequentia non valet; B non est verum, ergo B est falsum. Patet, quia ab aeterno hoc significabile complexum Hominem esse lapidem (id est, significabile per hanc propositionem *Homo est lapis*, vel significatum potius per eam) non fuit verum; et tamen non fuit ab aeterno falsum. Concordat Adam in 1. IV infertur ex dictis: Dato quod nullum esset datum creatum signum, nullum esset falsum; sed adhuc esset verum complexe significabile. Prima pars patet ex coroll. 2 huius propos. praemissae. Sed secundam partem probat Augustin. 15. de Trinit. cap. 21. quia verum esset quod pater genuit filium, et quod nulla creatura facta est. Patet etiam huius coroll. pars secunda per Venerab. Anselm. de Verit. cap. ult. Non existente, inquit, signo, non perit rectitudo: per quam per totum processum libelli illius intelligit veritatem. Et prima pars coroll. huius confirmatur: quia Deus non potest repraesentare falsum, nec intelligere, nisi cum intelligit falsum esse falsum; et hoc intelligendo verum intelligit: sicut dicit Adam in primo. Sic igitur patet, quod in infinitum plura sunt vera quam falsa, et quod possibile est nullum falsum esse, et quod necesse est verum aliquod esse; quae sunt omnia ex dictis manifesta.

16. III. Propositio principalis: quod Propositio enuntians praecise taliter esse qualiter est, vel fuisse qualiter fuit, vel fore qualiter erit, dicitur verum improprie et denominatione extrinseca; sed rem esse sicut est, est verum proprie et essentialiter. Patet prima pars: quia manentibus propositionibus eisdem in esse signi, non manet earum veritas: et de propositionibus vocalibus vel scriptis hoc intelligo, et earum similibus in mente; de quibus patet veritas propositionis. Pro parte prima patet per Anselm. de verita. cap. 2. Sed secunda pars propositionis probatur: quia, secundum Philosophos, sicut se res habent ad esse, ita ad veritatem: ut etiam habetur per Anselm. de verit. cap. 7 et ult. igitur secundum gradus aliquo modo essendi, sunt gradus verum [46] essendi, id est veritatis; ita quod rem esse qualiter est, est verum etiamsi nulla propositio esset, etsi nulla creatura rationalis sic esse intelligeret. Item secundum Sanctos, scilicet Augustinum de immortalit. 16. et Anselm de verit. ult. 2 et 1. Omne quod est in tantum est, in quantum verum est. Patet igitur, quod sic esse qualiter est, est verum proprie et essentialiter: propositio autem dicitur verum denominatione extrinseca et significationaliter.

Quarta propositio principalis: quod Esse verum, esse per se notum, scitum, creditum, certum esse per experientiam, et speratum esse, per prius causaliter, et natura, tempore, formaliter et consequentia non denominatione extrinseca convenit significato propositionis, quam ipsi propositioni. Probatur simul de omnibus: quia ex eo quod res est vel non est, oratio denominatur vera vel falsa, et non e contrario, per Philosophum. Ex eo inquam causaliter; quia sic esse qualiter propositio significat, est causa quare propositio est vera secundum Venerab. Anselm. ubi supra.

Articulus II Ponuntur Conclusiones.

Nunc quantum ad secundum Articulum, pono conclusiones quarum prima conclusio sit haec: Omne verum incomplexum potest esse Theologicae considerationis obiectum. Quia omne tale verum est essentia ab arte divina, existens in gradu specifico conformiter exemplari aeterno: ut patet per descriptionem veri incomplexi datam in artic. praeced. igitur quodlibet tale verum cadit sub Theologica consideratione. Consequentia est nota per Philosophum 1. physic. Tunc arbitramur scire unumquodque. Et confirmatur antecedens ex illo. Omnia per ipsum facta sunt; et quod factum est in ipso, vita erat, aeternaliter scilicet. [47]

Secunda conclusio : per solam Theologiam cognoscitur, qua veritate sit verum omne verum. Probatur: quia per solam Theologiam cognoscitur, quod verbum aeternum Dei est ars omnium, et veritas, qua omnia facta sunt: ut patet per Dionysium de divin. nominib. et per Venerab. Anselm. ubi supra cap. ult.

Ex his duabus sequitur corollarium responsivum ad quaestionem: scilicet, quod de quolibet creato vero incomplexo cognoscitur aliquo modo esse per Theologiam, qualiter esse est perfectius esse, et qualiter nosse est perfectius nosse, et eligibilis quolibet alio aliquo modo esse eiusdem veri scibili per quamcunque aliam scientiam. Patet ex praemissis, et confirmo ipsum declarando quoad primam partem: quia ad materiam primam cognoscitur, quod ipsa est aeternaliter vita in Deo, et quod ipsa est a Deo creata et conservata, et quod ipsa est vestigium creatoris, et quod est assumpta in unionem personalem Dei, et sic de multis aliis sic esse quae sunt perfectiora quam quod ipsa est subiectum transmutationis, et quod est in potentia ad formas, et quod est fex omnium elementorum *etc.* qua per Philosophiam de ipsa cognoscuntur. Et sicut probatum est et declaratum de materia prima, ita potest declarari de terra et sic de aliis rebus creatis, et etiam de ipso Deo, ut infra patebit. Secunda pars corollarii, scilicet de nosse eligibilis *etc.* probatur: quoniam cognoscendo dicta aliquo modo esse de materia prima vel qualibet alia re, cognoscuntur nobiliores conditiones de ipsa; et per notitiam talis conditionis habetur aliqua notitia de Deo, et qualiscunquo perceptio de ipso Deo: de quo Aristot. II. de animal. dicit, quod quamvis parum sit quod de cognitione substantiarum separatarum cognoscimus, hoc tamen modicum magis est amatum, et nobilius qualibet cognitione inferiorum. Et B. Augustin. Super. Genes. 16 dixit: quod est incomparabiliter praestantius Deum ex quantulacunque particula pia mente sentire, quam caetera universa comprehendere. Ex quo igitur Deum pia mente sentire solius est Theologia, sequitur, quod Theologica notitia [48] incomparabiliter perfectior est et nobilior qualibet alia scientifica notitia. Secundo sequitur consequenter ex dictis, quod de qualibet re potest viator habere notitias proprie Theologicas, sive veritates soli Theologiae proprias, et tantum per Theologiam cognoscibiles et per nullam aliam scientiam. Patet clare per dicta in conclus. 1. huius artic.

Tertia conclusio: Per solam Theologiam prima veritas cognoscitur esse prima veritas, et tamen Theologia viatoris est infinite citra perfectam eius cognitionem. Probatur prima pars: quia per nullam scientiam aliam a Theologia scitur esse aliqua substantia, quae intuitive et distincte cognoscit infinitas numero partes in hoc continuo vel ligno, et omnes figuras geometricas, et omnes proportionales arithmeticas, et in qualibet parte illius ligni, et quantum distat hoc lignum essentiali perfectione a materia prima, et sic de multis aliis; igitur conclusio vera. Antecedens patet inductive; sed probatur consequentia: quia esse primam veritatem est esse cognitionem respectu cuiuslibet et omnium scibilium, actu, incommutabiliter et distincte ab aeterno; igitur cognoscere aliquid esse primam veritatem, est ipsum cognoscere talem cognitionem esse; et hoc de aliquo non noscere, est ipsum non noscere esse primam veritatem. Secunda pars conclusionis probatur: quia infinite possunt esse species Theologiae nobiliores tota Theologia viatorum, quarum tamen nulla erit comprehensiva, sed quaelibet in infinitum deficeret a perfecta ipsius cognitione. Vide de hoc Augustin. Super illo verbo psalmi: Elevata est magnificentia tua super caelos.

22. En hac conclus. et praecedentibus patet veritas cuiusdam assumpti in ratione ad oppositum quaestionis facta; quod erat, quod per solam Theologiam scitur esse prima veritas, qua veritate

verum est omne verum. Unde infero corollaria, quorum I. est: primam veritatem esse (quae utique Deus verus est) non est verum per [49] aliquam scientiam pure physicam (idest, praecise naturali lumine et generali illustratione Dei immitentem) demonstratum. Patet ex conclus. hac 3. et probatur ex duabus suppositionibus, quarum prima sit illa: Omnis habens in mente definitionem repugnantem alicui essentia, quae sit B, et repugnantem cuilibet alteri datae essentiae vel dabili, et nullam habens de B aliam notionem convertibilem cum B, vel definitionem quid rei, de qua semper loquor; omnis inquam talis nullum verum sic esse habet de B. Illa suppositio patet cuilibet recte consideranti: quoniam si de homine haberem definitionem quid rei in mente mea, quae repugnaret homini (puta si conciperem talem definitionem, Homo est substantia corporea, irrationalis, insensibilis etc.) et non haberem aliam notitiam de homine; manifestum est, quod nihil cognoscerem de homine magis, quam de Chimaera. Secunda suppositio est ista: quod Omnis mente concipiens quod est aliqua entitas vel essentia necessaria prima omnium finitae perfectionis non omnipotens, nec immediate causa libera omnium aliarum rerum **creativa**, non intelligens distinctissime omnia, non trina personaliter, et una essentialiter; omnis sic existimans habet conceptum Deo repugnantem, et non solum Deo repugnantem sed et cuilibet alteri essentiae, et significatum illius conceptus est impossibile esse in re. Hoc patet ex conclusione, et eius probatione. Ex his igitur suppositionibus probatur corollarium sic: ex qualibet praecise physica scientia tali de qua dicit corollarium, traditur conceptus de Deo qualis describitur in suppositi. 2; igitur per nullam talem traditur veritas de Deo per primam suppositionem: quia **qualibet** dicit talem essentiam esse Deum, quam impossibile est esse Deum, imo quam simpliciter est impossibile esse in rerum natura; igitur corollarium verum. II. Corollarium consequenter ex dictis: quod Omnis propositio mentalis de Deo, quam habuit Aristoteles, erat impossibilis. Patet quia quilibet conceptus, quem Aristoteles habuit de Deo, fuit repugnans Deo et cuilibet essentia. Concordat satis Augustin. 12. de Civitate Dei 17. [50]

Tertium corollarium: illud significabile primi principii, scilicet Deus est, non est idem apud Theologum et mentem puri philosophi; si tamen philosophus dici debeat, qui primam veritatem ignorat, et Christum qui est Dei Sapia. Patet illud corollarium ex praecedentibus evidenter.

Quarta conclusio: Quaelibet veritas theologice et philosophice cognita perfectius cognoscitur per Theologiam quam per physicam seu naturalem scientiam. Et haec conclusio de directo respondet ad quaesitum. Probatur: quia incomparabiliter docetur perfectius veritas in tertio genere notitiae (de quo dixi in quaest. principii artic. 3) quo genere cognoscendi docet Theologia, quam doceatur veritas in quinto genere cognoscendi (de quo ibidem) cuius generis est notitia scientia naturalis. Unde pro illo allegat Gandavus in Sum. art. 7 quaest. 2. Augustinum ad Consentium dicentem et concludentem: Multo certiora sunt hac scilicet fide cognita, quibus innitur Theologia, quam ea quae corporis sensus attingit, quibus innitur philosophia praecise naturalis; lumen enim fidei cui immititur Theologia viatoris (de qua semper loquor) nebulas phantasmatum expellit, secundum Gandavum ibidem. Ex quo sequitur: quod quamvis doctrina naturalis quinto modo supra dicto in quaestione principii, cognoscens aliqua vera, cognoscat mediante lumine naturali per lumen divinum aliquo modo illustrato; tertio modo dicta tamen cognitione perfectius ista cognoscuntur, tanto scilicet perfectius, quanto perfectiori modo participat ille tertius modus de illustratione divina, quam alio lumine distincto: dicente Gandavo ubi supra artic. II quaest. 1

Quinta conclusio: Incomparabiliter perfectiora sic esse vera concludit Theologia de Deo tanquam necessaria consequentia ex illo vero Deus est, quam alia quaecunque doctrina. Probatur: quia omne taliter esse qualiter esse est melius quam non esse, taliter concludit Theologia solum Deo convenire; igitur **etc.** [51]

Sexta conclusio: Theologia habet hoc singulare proprium, quod omne aliquo modo esse, qualiter esse asserit de rebus naturalibus, Philosophia aut non asserit aut negat; verum est: et omne quod asserit quavis alia scientia, Theologia autem implicite vel explicite negat; falsum

est. Sicut sunt haec: Quodlibet corpus potest substantialiter verti in aliud, idem corpus potest esse simul in pluribus locis, et duo vel plura corpora possunt esse simul in eodem loco, et contraria possunt simul esse in eodem sub gradibus intensis et non mutuo se expellere vel impedire, idem numero posse corruptum redire: quae omnia et multa alia negat Philosophia, Theologia vero asserit. Probatum conclusio: quia impossibile est aliquid esse verum in una scientia, et falsum in alia; ergo quidquid afferitur esse verum per Theologiam quae omnino infallibili veritati innititur, et est a Deo revelata qui nec fallere potest nec falli, in una alia scientia poterit vere negari; et quidquid negatur per Theologiam tanquam falsum, per nullam aliam scientiam vere poterit affirmari, alioquin verum contradiceret vero, et falsum falso, quod est impossibile. Ex quo patet manifeste error quorundam pure philosophorum, si tamen philosophi et non magis erronei dici mereantur, qui dicunt quod Creatio est impossibilis, et Resurrectio mortuorum, et quod idem corpus potest esse simul in pluribus locis, et similia; sunt vera secundum Theologiam, sed eorum opposita sunt vera secundum Philosophiam. Conclusio haec sexta est Gandavi ubi supra artic. 7 quaest. 13 pro qua allegat Augustinum dicentem in quadam Epist. ad Marcellinum: Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quantumlibet acuta sit, fallitur verisimilitudine, nam vera esse non potest; rursus si manifestae certaeque rationi velut Scripturarum Sanctarum auctoritas obiicitur, non intelligit qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius opponit veritati. Item Paulinus in [52] Epist. quadam ad Augustinum: *Haeretici qui doctrinas daemoniorum et sequuntur et promunt, conceptis ab eorum spiritu adinventionibus quae non viderunt phantasmata quasi visa fingentes, et pestiferis disputationibus corda male credula seminantes; hi sunt qui non tenent caput, id est Christum fontem veritatis, cuius doctrinae quidquid adversatur, insanum est.* Ex quibus collige, quod nec Sacra Scriptura adversatur manifestae et certae rationi, nec ratio quantumlibet acuta vera est contradicens Theologicae veritati. Hoc habes ex verbis Augustini: et sicut fallitur ratio quantumlibet acuta concludens adversa Sacrae Scripturae, sic insipiens est qui auctoritatem Sacrae Scripturae certae et manifestae obiicit rationi; est inquam insipiens, id est, sensum Sacrae Scripturae non sapiens nec intelligens.

ARTICULUS III. Solvuntur Dubitationes

23. Quantum ad tertium Articulum, dubitatur contra praedicta, et est
I. Dubium de hoc quod supponitur in 2. conclus. artic. praeced. scilicet; An una sit veritas, qua veritate sit verum quidquid verum est? quod idem est dicere: Utrum una sit veritas omnium verorum? Ex videtur quod non. Quia non potest esse eadem veritas contingenter verorum, et necessariorum; ergo. Consequentia est nota: sed probatur antecedens. Quia si sit eadem veritas utriusque veri, scilicet contingentis est necessarii, sit illa gratia exempli A, sitque B contingens verum, C verum necessarium; tunc sic A veritate verum est B et C: ergo quodcumque et quam necessario C est verum, tunc et tam necessario B est verum. Consequens est falsum, et contra positum; quia ponitur quod B sit verum contingens, et C necessarium. Sed probo consequentiam: quia [53] quodcumque et quam necessario est veritas ipsius B, tam necessario et tunc verum est B; quia non stat veritas ipsius B, et ipsum B non esse verum: sed per te A (quod est veritas ipsius B et C) semper est quando C est, quod C non potest non esse verum quia necessarium; ergo B veritas semper est, et per consequens B semper erit verum necessario, sicut C: vel sequitur, quod C erit verum sine veritate scilicet A, vel simpliciter sine veritate; quorum primum est contra casum, secundum vero simpliciter est impossibile: ergo impossibile videtur, quod eadem sit veritas omnium verorum. Secundo sequitur, quod aliquod verum esset contingens et mutabile, cuius veritas esset necessaria et immutabilis, et sic veritas et verum aliquod distinguitur; quod est falsum: quia si B verum distinguitur realiter a sua veritate; ergo

sine contradictione stare poterit B esse verum sine ipsius B veritate, quod tamen videtur contradictio; ergo contradictio videtur quod B distinguitur a sua veritate, quod tamen oportet hanc positionem concedere: quia aeternum necessarium et immutabile non potest esse idem realiter contingenti.

Oppositum supponitur in conclusione praedicta, et probatur a Venerabili Anselmo de verita. cap. ult. ubi concludit in haec verba: Una igitur est in illis omnibus (scilicet veris) veritas. Et discipulus respondet: Hoc negare impossibile est. Pro solutione dubii sit haec divisio seu distinctio, quod communiter dicitur aliquid verum quinque modis. Primo aliquid dicitur verum naturaliter et per se: et quod sic est verum, proprie dicitur veritas, et est Deus. Secundo modo aliquid dicitur verum exemplariter. Tertio modo aliquid dicitur verum formaliter. Quarto modo aliquid dicitur verum actualiter; et quinto modo significativer. Exemplum de omnibus quatuor modis: de primo enim dictum est, quod Deus est veritas naturaliter, et essentialiter, et ex se. Sed pro exemplo caeterorum

[54] quatuor modorum sit haec.

Prima propositio: Omne verum, quod est essentiam aliquam aliqualiter entem, vel aliqualiter esse, fuisse vel fore; est seipso verum formaliter, et potest esse verum veritate complexae notitiae, et verum actualiter, et propositione verum significativer: sed est prima veritate (scilicet Deo) verum exemplariter, vel causaliter; et tamen nec veritas formalis, nec actualis, nec etiam propositio est veritas naturaliter, ipsa, et ex se. Unde hoc verum quod significatur per hanc propositionem *Homo est animal*, hoc inquam complexum sic esse vel complexe significabile est verum prima veritate quae Deus est, et hoc exemplar seipso est verum formaliter, et notitia qua actualiter cognoscitur sic esse est verum actualiter, et propositio haec *Homo est animal* est verum vel vera significativer; nec tamen hoc complexe significabile sic esse est verum naturaliter et ex se.

Secunda propositio: Prima veritas non potest aliunde quam seipsa esse veritas. Patet; alioquin non esset prima veritas, si aliunde esset.

Tertia propositio: Prima veritas increata est causa et exemplar cuiuslibet alterius essentiae. Patet per Augustinum 4. Musicae dicentem: Veritas vocatur ars Dei summi, qua veritate facta sunt omnia, omniumque forma est veritas: forma, id est, exemplar superexcellens et perfectissimum.

Quarta propositio: Prima veritas non est causa effectiva cuiuslibet taliter esse, qualiter esse est verum; nec omne verum est verum taliter a prima veritate, id est, prima veritate faciente vel efficiente. Probatur: quia fortem esse peccatorem, est verum dum actualiter peccat; et tamen prima veritas non facit ipsum esse peccatorem. Similiter Adam fuisse est verum; et tamen proprie loquendo, Deus non facit Adam **[55]** fuisse; sed, fecit Adam esse: et Antichristum fore, est nunc verum; et resurrectionem mortuorum, fore verum est: et tamen prima veritas non facit aliquod talium fore, sed faciet esse: et loquor de facere proprie, prout est aliquid efficere. Patet igitur, quod prima veritas non est, nec esse potest efficiens causa cuiuslibet veri, quia non cuiuslibet veri complexi; ut ostensum est.

Quinta propositio: Prima veritas est exemplar et forma cuiuslibet alterius veri. Probatur: quia clare repraesentat omnia vera divino intellectui omnia vera distinctissime intuenti; omnia, inquam, vera possible et existentia, complexa et qualiacunque, verum est esse taliter qualiter esse repraesentantur in prima veritate. Ex quo patet, quod omne verum aliud a prima veritate taliter est verum veritate creata, qualiter est verum veritate prima exemplariter: et sic concedendum est universaliter, quod omne verum est prima veritate verum; quia prima veritas est aeternum exemplar cuiuscunque aliqualiter esse entis creati vel creabilis.

Sexta propositio: Veritas increata, quae utique prima est, non solum est exemplar, sed etiam causa cuiuslibet aliqualiter esse entis creati, qualiter esse bonum est. Patet per Augustinum de immort. ani. 16. Siquidem, inquit, veritatem dicimus eam, qua omnia quaecunque sunt vera sunt, in tantum autem sunt in quantum vera sunt et in quantum bona sunt; ergo omne ens est

bonum, id est, ipsum ens est esse bonum. Unde sequitur, quod in omni vera assensione vel assertione theologi est ista forma prima et veritas immediate necessario requisita.

Septima propositio: Hac forma seu veritate prima praesto existente menti creatae, mens creata multa intelligit qua non videt, nec sunt in ipsius potestate ut videat vel intelligat. Haec propositio est Augustini 8. de Trinit. 25. et 29. ubi ponit, quod in veritate (Deo) conspicimus immutabilem formam iustitiae, secundum quam hominem vivere oportere iudicamus: qui et in 2. de lib arbitr. 20. et 21. 23. et 25. capp. deducit, quod ipsa prima veritas [56] est lumen omnium omni menti incommutabilia vera cernenti, in quo lumine cuncta, quam immutabiliter vera sunt, intelliguntur ut primum principium, et quodlibet aliud verum notum necessario esse verum. Ex quibus sequitur: quod omnis assensus proprie theologicus, imo omnis assensus veri et certi est immediate ab ipsa veritate increata, a prima forma quae illuminat omnem intellectum vera vel verum cognoscentem sincere, ita quod ipsa luce aeterna illustrante cognoscitur verum quodcumque sincere ab aliqua mente creata cognoscitur. Unde Augustin. 1. Soliloq. Deus, inquit, intelligibilis lux est, in quo, et a quo, et per quem intelligibiliter lucent omnia. Item 1. Soliloq. 12. lux quidem est intelligibilis incomprehensibilis mentium, quod lux illa vulgaris nos doceat quantum potest, sic inquam doceat: quia sicut sine luce ista corporali non potest videre oculus corporis, sic sine luce divina intelligibili nihil videre potest oculus cordis. Secundo sequitur: quod peccatores, impii, et diaboli in quantum vera cernunt, et sincere cognoscendo ossentiunt, istius lucis aeternae generali illustratione participant. Unde a nulla mente sive pia sive impia verum aliquod sincere et infallibili iudicio scitur, nec videtur, nisi in lumine lucis aeternae. Unde Augustin. 9. de Trinit. Impii cogitant aeternitatem, et multa recte repraehendunt recteque laudant in hominum moribus; quibus tandem regulis ea iudicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debet, etsi non ipsi eo modo vivant: ubi autem, scilicet regulae illae scriptae sunt, nisi in libro vitae lucis aeterna. Sed quod etiam diabolus, si quid veritatis sincere videt, et qualitercunque, in ipsa luce videat. Prima patet per Augustin. De serm. Domini in monte, dicente de ipso diabolo; Voce Dei audivit quod voce veritatis scriptae intus in mente sua verum aliquid cogitavit. Et ita pro dicto corollario allegat Gandavus in Sum. artic. 1. quaest. 3. Item Augustin 12. Confessionum: Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi quaeso id videmus? nec utique in te, nec tu in me, sed [57] ambo, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate.

Octava et ultima propositio est ista: Omne verum esse verum sincere et liquide videtur, et intuitive cognoscitur in exemplari aeterno, veritate infallibili. Quidquid igitur veri nobis revelatur non potest esse falsum, ut sic.

Ex dictis patet responsio ad dubium; qualiter una est veritas omnium verorum forma, et exemplar, et lux. Unde ad rationes dubii est dicendum ad primam: cum arguitur, quod non potest esse eadem veritas veri contingentis et verii necessarii. Dico quod hoc est bene verum, si loquimur de esse vero formaliter ad sensum datum in propos. 1. Respondeo ad praesens dubium: quia nec isto modo prima veritas formaliter est aliqua alia veritas. Nam Deum esse non est formaliter fortem esse, nec sortem posse peccare: sed cum dicimus primam veritatem esse formam omnium verorum, capimus formam pro exemplari; ergo ratio bene probat, quod non eadem veritas formalis est necessarii veri, et contingentis veri, cum quo tamen stat, quod una est idealis et exemplaris veritas utriusque: et contra hoc non procedit ratio. Neganda igitur est consequentia, cum infertur: A veritate prima scilicet, verum est B et C; ergo quam necessario C est verum, tam necessario B est verum: quia A non est formaliter veritas B et C, sed exemplariter vel causaliter, et taliter non valet illatio.

Ad secundam rationem, cum infertur: Ergo aliquod verum esset contingens, cuius veritas esset necessaria. Concedatur de veritate exemplari sicut prius: et ulterius concedendum est, quod B verum, scilicet sortem esse, distinguitur a sua veritate exemplari; sed non distinguitur a sua veritate formali quae est ipsum sic esse, scilicet fortes existens verbaliter significatus, ut dictum est supra.

Sed diceret: si prima veritas est aeternum exemplar istius sic esse, scilicet Sortes est, vel Sortes currit; ergo aeternaliter sic [58] est quod Sortes est, et quod Sortes currit, quod est falsum. Vel prima veritas erat aeternaliter exemplar repraesentativum veri quod non erat, et per consequens falsum repraesentass et; quod est impossibile: vel si non fuit exemplar ab aeterno repraesentans Sortem esse; ergo incepit esse exemplar eius quod Sortes est tunc quando coepit Sortes esse, et sic prima veritas foret mutabilis. Respondeo, quod prima veritas quamvis sit exemplar aeternum repraesentativum cuiuslibet veri existentis vel possibilis, non tamen repraesentat rem actualiter esse quando ipsa non est. Sic igitur dico: quod in exemplari aeterno non repraesentatur Sortem esse in propria existentia, dum actualiter Sortes non existit; sicut dicimus de scientia Dei, quod ipsa est cognoscitiva et intuitiva notitia omnium cognoscibilium qualum ad simplicem intelligentiam, id est, prout dicitur notitia simplicis intelligentiae; non tamen scit, fortem esse actualiter dum Sortes non est, notitia vel scientia iudicativa, sed tali modo scit solum esse ea quae sunt: quamvis notitia simplicis intelligentiae sciat tam ea quae sunt, quam ea quae non sunt. Sic conformiter est intelligendum de ipsa prima veritate in esse repraesentationis, respectu aliorum verorum quorum est exemplar; est enim omnium verorum exemplar aeternum conformiter divinae notitiae, quae vocatur notitia simplicis intelligentiae, sed non est actualiter exemplar huius complexi Sortes est pro tunc quando non est Sortes, et hoc repraesentando conformiter notitiae iudicativae. Propter quod sicut bene et vere concedi potest, quod Scientia Dei incipit esse iudicativa scientia illius complexi Sortes est, quando sic incipit esse quod Sortes est; et dum Sortes definit esse in proprio suo existere, Deus non iudicat Sortem existere: sic concedi potest, quod prima veritas non est exemplar repraesentans esse Sortem dum non est; sed sic incipit repraesentare, dum incipit sic esse. Nec ex hoc sequitur aliquantulum mutatio in ipso exemplari aeterno magis quam in [59] divina scientia, quando modo scit iudicative quod Sortes est, et sic esse iudicat quod Sortes est, et tamen ante non sic iudicavit: sed solum sequitur mutatio in vero creato, non autem in veritate increata, quia ipsa non est sic in rebus creatis quod ad ipsarum variationem mutetur et varietur et ipsa; quoniam non est ex ipsis, nec per ipsas. Unde Anselm. de verit. ult. improprie, inquit, prima veritas scilicet illius vel illius rei creditur, quoniam ipsa non in ipsis rebus, aut ex ipsis, aut per ipsas in quibus creditur, habet suum esse; sed cum res ipsa secundum illam sunt, quae semper praesto est his quae sunt sicut debent, tunc dicitur illius vel illius rei veritas, ut voluntas actionis etc. Quemadmodum dicitur tempus huius aut illius rei, cum unum et idem sit tempus omnium quae in eo tempore simul sunt, et si non esset haec vel ista res, non minus esset tempus idem; nec enim ideo dicitur tempus huius vel illius rei quia tempus est in ipsis rebus, sed quia ipsae sunt in tempore: et sicut tempus secundum se consideratum non dicitur tempus alicuius, sed cum res quae in ipso sunt consideramus, dicimus tempus huius vel illius rei; ita summa veritas per se subsistens nullius rei est, sed cum aliquid secundum illum est, tunc eius dicitur veritas vel rectitudo. Haec omnia Venerab. Anselm. et per hoc patet ad obiectionem.

II. Dubium est de eo quod tactum est in tertia ratione principali ante Oppositum quaestionis: Utrum omne verum citra primum verum sit atque verum vel non? Et videtur quod non. Quia per ea quae dicta sunt in artic. 1. huius quaest. Omne verum incomplexum est essentia existens in gradu specifico; ergo secundum gradus essendi erunt gradus veri essendi, ut dictum est supra: cum igitur essentiae non sint aequales in gradibus specificis, sequitur quod nec ipsae veritates sint aequales in esse veri, et per consequens non omne verum est aequum verum sicut aliud. Secundo: Unum verum habet plures causas veritatis quam aliud verum, ergo unum verum est alio verius. Consequentia videtur tenere pro [60] tanto: quia sicut causa veritatis est causa esse veri, ita videtur quod plures causae veritatis sint causae magis veri. Antecedens videtur patere de vero necessario, quod habet plures causas veritatis, quam verum contingens. Confirmatur tertio: quia non omne falsum est aequum falsum, sed unum falsum est alio falsius: ergo. Consequentia tenet per locum ab oppositis. Antecedens probatur: quia unum falsum habet plures causas falsitatis, quam aliud.

Oppositum istius arguo sic: Quodlibet verum aequaliter distat a sibi opposito falso, et aequaliter est, qualitercunque ipsum vere significatur esse. Item aequaliter distat quodlibet verum a suo contradictorio: ergo.

Respondeo: Hoc dubium potest dupliciter intelligi. Uno modo sic: Utrum unum verum (id est essentia incomplexa vera) sit verius (id est perfectior essentia vera) quam alia essentia vera? Et ille est sensus improprius: quia non est dubium, quin una essentia vera sit alia perfectior. Aliomodo potest intelligi magis proprie: An scilicet in esse veri unum verum sit alio verius? et in illo sensu respondendo ad dubium, sit

I. Conclusio: Quaelibet veritas, seu quodlibet verum alicuius speciei incomplexum, est aequae verum praecise sicut aliud verum eiusdem speciei. Probatur: quaelibet essentia alicuius speciei est praecise aequae vera sicut alia essentia eiusdem speciei; ergo. Consequentia nota est ex descriptione veri incomplexi data superius in artic. 1. Antecedens est B. Augustini 8. de Trinit. cap. 4. dicentis: Hoc aurum est ita verum aurum sicut illud, licet illud sit maius illo. Et confirmatur: quia B essentiam esse veram, non est aliud quam ipsam existere in gradu specifico conformiter exemplari aeterno, ut supra patuit; sed hoc uniformiter competit cuilibet essentia eiusdem gradus specifici, nec plus uni quam alteri: ergo.

II. Conclusio: Nullum verum incomplexum est verius in sua specie, quam aliud in sua specie sit verum. Probatur sicut [61] praecedens: quia nulla essentia est verior in sua specie quam alia sit vera in specie sua; quaelibet enim in specie sua est in gradu suo specifico aequae taliter conformis exemplari divino. Unde non magis est angelus verus angelus, quam homo verus homo, vel quam aurum verum aurum, vel sol verus sol, et sic de aliis. Ex quibus sequitur I. quod non quo modo contingit unam rem alia esse perfectiorem, ita contingit unam rem alia esse veriorum: et hoc nec in eadem specie, nec in diversis. Patet ex conclusionibus praemissis. II. Sequitur, quod non valet haec consequentia: Possibile est B albedinem esse intensiorem, et non est possibile B albedinem esse veriorum; ergo B albedo non est sua veritas. Et ex his corollariis patet solutio ad primum argumentum ad partem negativam dubii. Item non valet haec illatio: Contingit A scientiam esse intensiorem qualitatem, et non contingit A esse intensiorem scientiam; igitur A non est qualitas. Consimiliter non valet haec consequentia: C dilectio est intensior dilectio, et non erit intensior cognitio; ergo dilectii non est cognitio.

Tertia conclusio est de vero complexo: Nullum verum complexum est alio vero complexo verius. Probatur: quia quodlibet taliter est, qualiter esse vere significatur, vel significabile vere est; et qualitercunque aliter esset quam significaretur, sufficeret ad falsitatem propositionis vel signi; et qualitercunque ipsum sic esse complexe significabile deficeret ab exemplaris aeterni repraesentatione, ita scilicet, quod non sic esset qualitercunque repraesentaretur in exemplari aeterno; non esset illud sic esse, et per consequens non esset verum complexum. Non dico, quod ipsum sic complexe significabile foret falsum; sed dico, quod ipsum sic complexe significabile non esset, nisi suum esse exemplare esset et repraesentaretur in veritate aeterna: et hoc est suum esse verum. Ex quo sequitur: quod verum necessarium non est magis verum quam verum contingens, licet necessarium habeat plures causas veritatis [62] suae, et quantum ad hoc excedet verum contingens. Et ex hoc patet solutio secundi argumenti huius dubii pro parte negativa: quia non sequitur, Unum verum habet plures causas veritatis quam aliud; ergo est verius alio. Sequitur secundo, quod nec unum falsum est alio falsius, accipiendo falsum in definitione vel descriptione propria, qua concipitur praecise per oppositum veri: quia huiusmodi diffinitio falsi aequae convenit omnibus falsis, licet unum falsum habeat plures causas suae falsitatis quam aliud. Et in hoc patet responsio ad confirmat. 3. factam ante oppositum dubii.

III. Dubium quod trahit occasionem ex secunda ratione principali quaestionis est, scilicet: Utrum aliquod verum sit perfectius cognoscibile (id est perfectiori notitia) quam ipsummet sit verum perfectum? Et videtur quod non. Quia quodlibet cognitum creata notitia est causa suae notitiae creatae; ergo quodlibet cognitum notitia creata est ipsa creata notitia perfectius, vel saltem non minus perfectum. Antecedens notum est tam per Sanctos, quam per Philosophos. Et

consequentia videtur pro tanto: quia causa non potest esse minus perfecta suo effectum, cum nulla causa agere valeat ultra sua speciem. Secundo: Nihil potest perfectius cognosci quam notitia comprehensiva qua noscitur res tanti quanti est; sed talis notitia non est perfectior quam ipsum notum immediate: quia si perfectior esset, iam ultra illud cognitum se extenderet.

Oppositum arguo sic: Cognitio actualis qua cognoscitur B color, est nobilior et perfectior quam sit ipse B color actualis; ergo. Consequentia est nota. Sed probatur antecedens: quia dicta notitia est perfectioris generis in latitudine perfectionis accidentium, ut patebit infra, in distinct. 3. ubi de perfectionibus rerum agetur.

Respondeo. Quia (ut visum est) duplex est verum, scilicet complexum et incomplexum; idcirco potest esse quaestio de utroque: igitur pono conclusiones, et primo de incomplexo. [63]

Item dubium non quaerit; utrum aliqua notitia (puta B) sit perfectior in sua specie vel genere, quam suum obiectum verum sit perfectum in specie sua? quia haec est quaestio facti: non enim est dubium, quin eadem potentia respectu eiusde cognoscibilis quandoque intensiori actu notitiae cognoscit, quandoque remissiori; sed est sensus dubii: Utrum contingat aliquod verum (puta C) cognosci perfectiori notitia, quam ipsum C sit perfecta essentia simpliciter et hoc loquendo de notitia creata, vel etiam de increata; et similiter loquendo de veris creatis, vel de vero increato. De vero igitur incomplexo sit

I. Conclusio: Non quolibet vero creato contingit dare notitiam creatam perfectiorem in proprio genere. Probatur: nam Angelo nulla notitia creata potest esse perfectior; cum quaelibet sit generis multo inferioris: ergo.

II. Conclusio: Aliqua creatura, sive aliquod verum potest cognosci notitia perfectiori, quam ipsum sit res perfecta. Probatur per rationem factam ad oppositam partem dubii.

III. Conclusio: Quodlibet creatum verum potest esse aliqua creata notitia perfecte cognitum incomplexo. Probatur: quia quodlibet creatum verum potest in Verbo perfecte videri per notitiam creatam, qua notitia creata in Verbo habita potest perfecte cognosci quanta est perfectio ista in ordine perfectionum, et quanta latitudo in sua specie; ergo potest intuitive perfecte cognosci. Ex quo sequitur, quod quodlibet creatum verum incomplexum (de quo nunc loquor) est creata notitia comprehensibile, id est comprehensive cognoscibile. Patet, quia in Verbo potest creatura quaelibet cognosci tam perfecta notitia, quam vel sicut res ipsa creata est perfecta essentia: et hoc requiritur ad comprehensive cognoscere. Ex quo sequitur

IV. Conclusio: quod Omnis res incomparabiliter perfectior qualibet cognitione creata non potest comprehendi, id est, comprehensiva [64] notitia cognosci, cognitione scilicet in proprio genere. Patet, quia nulla talis notitia, scilicet in proprio genere, est tam perfecta notitia sicut res talis est perfecta essentia: quod tamen requiritur, si debeat esse comprehensiva notitia.

V. Conclusio sequens ex praemissis est: quod licet Angelus non possit creata notitia comprehensive cognosci cognitione in genere proprio, tamen Angelus potest cognosci creata notitia incomplexa comprehensiva, cognitione in Verbo. Prima pars patet ex 1. et 4. conclus. hic positis. Et secunda pars ponitur ex conclus. hic 3. Et confirmatur, quia repraesentatio illius exemplaris est incomparabiliter perfectior quoad esse repraesentativum, quam sit Angelus quoad esse suae existentiae, vel suae existentis naturae. Ex praedictis sequitur consequenter, quod solus Deus est notitia creata incomprehensibilis. Patet, quia sua perfectio sola quamlibet creatam notitiam vel creabilem infinite excedit. Illud dictum patet per Augustin. 8. de Trinit. 26. et 4. super Genes. 8. et satis probatur ex dictis Magistri in distinct. 2. lib. 1. cap. 1. in fine.

VI. Conclusio est de vero complexo: Quodlibet verum complexum est infinitae cognoscibilitatis. Probatur: Nullus habens finitas cognitiones de B habet omnes cognitiones complexas aptas haberi de sic esse ipsius B rei; ergo. Consequentia nota. Sed probatur antecedens: quia non sunt tot complexae cognitiones, in quocumque numero fingere velis de quacumque re, quin in infinitum plures sint possibiles, ut notum est intelligenti; ergo nullae finitae cognitiones sunt omnes possibiles de quavis re. Ex quo sequitur, quod quilibet concedens, quod Deus cognoscit actu quodlibet cognoscibile, habet concedere quod Deus est

infinita cognitio actualis: et e contrario concedens quod Deus est infinitissima notitia actualis, habet concedere quod actu cognoscit quodlibet cognoscibile.

VII. Conclusio: De quolibet vero creato potest homo vel angelus cognoscere, quod ipsum est tantum cognoscibile quantumlibet est cognoscibile; et tamen nec homo nec angelus potest aliquod verum [65] creatum cognoscere quantumlibet est cognoscibile. Probatur per praecedentem quoad eius primam partem: quia de B essentia vel de qualibet creata potest homo vel angelus cognoscere quod ipsa est infinite cognoscibilis complexe. Et quoad partem secundam: potest cognoscere quod B vel quavis creata essentia est a solo Deo complexe comprehensibilis, et quod de B non potest creatura tot scire quin plura sciantur, et quod de B plura complexa vera ignorantur a creatura quam sciantur; ergo creatura de B essentia potest scire, quod est tantum cognoscibilis quantumlibet est cognoscibilis. Patet consequentia, quia B non est magis cognoscibile quam ipsum Deus comprehendit. Ex his patet quomodo respondendum sit ad dubium diversi modo, secundum diversos modos cognoscendi complexe et incomplexo. Unde est absolute dubium concedi debet, quantum ad partem primam. Ad rationem primam in contrarium, concedatur antecedens et regetur consequentia. Ad probationem dicendum, quod non est inconveniens quod effectus sit perfectior et nobilior sua causa partiali, qualiter in proposito est: quia obiectum cognitum non est causa notitiae nisi partialis; concurrunt enim etiam intellectus ut efficiens et obiecto coefficiens ad ipsius obiecti cognitionem actualem. Ad secundam negandum est illud quod dicitur, quod ipsa notitia comprehensiva non sit perfectior ipso cognito, ad sensum dubii; imo quandoque est perfectior: ut patet de perfecta cognitione intellectiva albedinis, quae utique perfectior est quam albedo.

Ad rationes principales. Ad primam cum dicitur, quod haec veritas Aliquid est prima causa [...] negandum est illud: sicut patet per 3. conclus. artic. 2. et per ipsius corollaria. Ad probationem cum dicitur, quod hoc scitur per Philosophiam demonstrative; hoc negandum est similiter. Item dato quod aliquid sciretur demonstrative per Philosophiam; quod cum hoc sciretur per Theologiam, adhuc demonstratio physica esset minus perfecta quam Theologica, quoniam ipsa esset ab effectibus ad causam, quae vocatur demonstratio quia: vel saltem illam praesupponeret, vel praemiseret. Item secundum quod dictum est in quaestione principii: non minor est certitudo theologici [66] assensus, quam certitudo demonstrationis. Ad secundam neganda est consequentia, quamvis antecedens non sit undequaque verum: quoniam scientia propter quid perfectius aliquid scitur, quam scientia quia; et tamen per utramque scitur de A scibili vel quolibet dato, quod ipsum impossibile est aliter se habere, quam scitur se habere; ergo consequentia non valet. Ad tertiam neganda est consequentia, si consequens illud intelligatur sic: quod si perfectius determinat hoc verum cognoscere, sicut intelligi debet; alioquin si si perfectius determinaret si verum, non esset ad propositum quaestionis: quia non quaeritur; si A verum sciatur esse perfectius verum per Philosophiam vel per Theologiam? notum enim est quod non; quia idem non potest esse perfectius seipso: sed quaestio erat; utrum A verum perfectius sciatur esse verum per Theologiam vel Philosophiam? Et in hoc sensu responsum est, quod perfectius scitur A per Theologiam quam per Philosophiam; dato quod A sit utroque modo, scilicet theologicum et physice cognoscibile. Sequitur alia quaestio. [67]